Imaginem cujusdam viri hac Elegija describit Auctor, et jocatur de illius titulis, et dignitate. ~~[illegible]~~

Ventosus titulis, Patriæque decore superbus (a)
Mortales inter se putat esse Deum
Vir quidam, sed parvus homo; dare legibus Urbem,
Et nova se jactat grandia jura sequi.
Dentibus obstrictis loquitur, ne verba rotentur,
Verba sibijlinis assimilanda nodis.
Elatus sedet solio; vix ipse videtur;
Ad terram minimos vix locat ipse pedes.
Fronte tamen gravi, et gravi ore redarguit omnes:
Væ tibi responsum si male caute dabis!
Erigitur, rabiemque vomit, pœnasque minatur;
Jam jam de solio fulmina missa ruunt.
Hæc nos, o socii, mala sors exasperat, huic nos (b)
Invito cohibet subdere colla jugo.
Quod patimur perferre juvat: sic nauta ventos
Stat contra, et validam sustinet arte ratem.
Ille sagax, faustusque divis, qui fata retundit,
Ridet et insanas, quas videt orbe vices.
Nos igitur ~~virtute pares, finemque~~ meliora sophûm præcepta secuti
Spernemus titulos, imperiumque viri.

(a) Hanc Elegijam scripserat auctor anno millesimo octingentesimo primo. Postremo vir ille jactura temporum, novique Imperii ~~causa~~ forma titulos, et dignitatem amisit.

(b) Idem Auctor, de proprio munere ab indicato viro iniquè reprehensus, ~~[illegible]~~ cum sociis suis valde conqueritur.